Österreich (Admont?), 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26101
Copyright: Admont, Benediktinerstift

per visionem significantem sive corporalem sicut visa est in monte Syna. sive spiritua
te sicut vidit Esayas vel Iohannes in apokalypsi. sed per speciem non per enigmata quantum eam
capere humana mens potest. secundum assumentis dei gratiam. ut os ad os loquatur deus
ei quem tali dignum colloquio fecerit. non os corporis sed mentis. sicut intelligendum
arbitror quod de Moyse scriptum est. Concupierat enim sicut in exodo legimus videre
dominum non utique sicut viderat in monte. nec sicut videbat in tabernaculo. sed in ea
substantia qua deus est. nulla assumpta corporali creatura que mortalis carnis sen
sibus presentetur. neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum. sed per speciem suam
quantum eam capere creatura rationalis et intellectualis potest. sevocata ab omni cor
poris sensu. ab omni significativo enigmate spiritus. Sic enim scriptum est. Si ergo in
veni gratiam in conspectu tuo ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te.
cum paulo superius legatur. et locutus est dominus ad Moysen facie ad faciem sicut quis loquitur ad
amicum suum. Sentiebat ergo quod videbat. et quod non videbat desiderabat. nam et paulo
post cum dixisset ei deus invenisti gratiam in conspectu meo et scio te pre omnibus. respon
dit ei. Ostende mihi claritatem tuam. Et tunc quidem responsum accepit a domino figuratum.
de quo nunc longum est disputare. quando ei dixit non potes faciem meam videre et vivere.
non enim videbit homo faciem meam et vivet. deinde subiecit. et ait illi. Ecce locus penes
me et stabis super petram. statim ut transiet mea maiestas ponam te in specula petre.
et tegam manum meam super te. donec transeam et auferam manum. et tunc videbis po
steriora mea. nam facies mea non apparebit tibi. Nec tamen secuta scriptura hoc et cor
poraliter factum esse narravit. satisque per hoc demonstratum est figurate dictum esse
in ecclesie significatione. Ipsa est enim locus penes dominum. quia ecclesia est templum eius.
et ipsa edificata est super petram. et cetera que ibi dicta sunt eidem intelligentie congru
unt. Non tamen concupitam et desideratam dei claritatem Moyses videre meruisset. non in
libro numerorum diceret deus ad aaron et mariam fratres eius. Audite verba mea.
si fuerit propheta vester. in visione illi dominus cognoscar. et in somno loquar illi. non ita
quomodo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis est. os ad os loquar illi.
in specie et non per enigmata. et claritatem domini vidit. Neque enim hoc sub am